In *MEMORIAM*

Amici mihi longe chariſſimi, Viri verè Eruditi & admodum juxtà generoſi

ROBERTI GARDINER J.C.

THRENODIA

Fratri fraterrimo *GULIELMO GARDINER*

INSCRIPTA.

DIſcite quam rapidæ vaneſcunt ludicra vitæ
Gaudia, Principiis immoritura ſuis!
Diſcite quam poſitis languent Colocaſia culmis,
Cum gravis exuſtos Æſtus hiulcet agros!
Succiditurque ſolo perituri gloria Fæni
Cum meſſor viridam falce retondat humum!
Fecerunt Exempla fidem; Mæſtiſſima nobis
Exempla, Exequiis flebiliora Tuis.
O quàm Te memorem Qui tot virtutibus annos
Certâſti, & primos anticipare Dies.
Virtutis manifeſta dabis nam ſigna futuræ
Cum vix per teneras repſerat umbra genas:
Ceu Te *Prorſa* magis, mellitave *Vorſa* juvabant
Pangentem ad Latiam Carmina cuſa Lyram;
Ceu placuit *Legum* abſtruſas evolvere chartas,
Aut enodatis enucleâſſe Gryphis;
Sive *Polyglottes* poteras diſcernere linguas
Doctorum, & proprio multiplicare ſono.
Ceù *Phœbo, Plectriſque* comes per *Muſica* noſti
Currere, blandiſonos & ceciniſſe ſales.
Ter ſecli *Coryphæe* vale! *Patris*, atque *Sororis*,
Et par *Fratris* amor, delicioſe Vale!
O quam Reliquiæ curtâ conduntur in Urnâ!
Quam jacet exiguâ molle Cadaver humo!
Sed fato meliore cluens *pars optima* veſtri
Emicat, ætheriis annumeranda choris. *205.*